

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum
Romanorum**

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

Sect. V. De Consecratione Principum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

TUR. SVETONIVS *in Cæsare cap. XXVI.* & LIVIVS *lib. XXXIX. cap. 46. f)*

§. III.

Ludi funebres ob eandem causam editi : præfertim gladiatorii, de quibus supra exposuimus. LIVIVS *epit. lib. XVI.* VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap. 4. num. I.* & quæ nos ad CICERONIS *lib. II. epist. 3. num. I.* notauimus.

SECT. V.

DE CONSECRATIONE
PRINCIPVM. g)

§. I.

ROMANI imperatores, bene de republica meriti, post mortem in numerum deorum cer-

f) De epulis feralibus, tam *silicerniis*, quam *cœna funebri*, amicis data, commentantur: IAC. GV THERIVS *de iur. man. lib. I. cap. 25.* PETR. MORESTELLVS *pomp. funebr. lib. VIII. cap. 16.* GVIL. STVCKIVS *lib. I. antiqu. conuiual. cap. 26.* IAN. GVILIELMIVS *lib. III. verisimil. cap. VIII.* GARR. MARQVARTVS & WOLFG. CASP. TROPPANEGERS *dissertationibus de epulis gentilium sepulcralibus*, aliique plures.

g) De ritu hoc consecrationis videantur præter IO. KIRCHMANNVM, ONVPHR. PANVINIVM, IAC. GV THERIVM aliosque plures, IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiquar. p. 268.* laudatos: IO. MENCKENIVS *de augustorum augustarumque consecratione ex nummis illustrata p. I. eius dissert. academic.* CONSTANT. LANDVS *explicat. in D. Antonin. consecrationem, & Claud. Neronis Cæs. decursion. Castorisque & Pollucis nu.*

certis ritibus relati atque *diui* adpellati sunt. Exempla passim apud historicos latinos occurrunt. Sic EUTROPIVS *lib. VII. cap. 5. num. 15.* de Augusto : *moriens*, inquit, *diuus adpellatus est*; & *cap. VIII. num. 6.* de Claudio : *post mortem consecratus est diuusque adpellatus*; & *cap. XIII. num. 9.* de Vespasiano , *cap. XIV. num. 11.* de filio , *lib. VIII. cap. I. num. 4.* de Nerua , & *cap. II. num. 17.* de Traiano : *inter diuos relatus est.* Idcirco templa eis exstructa flaminesque constituti , quorum passim mentio in *inscriptionibus.*

§. II.

Non vero semper id ex vera deuotione factum , sed aliis de causis politicis , quas detexit PLINIUS *panegy. cap. XI. num. 1. & 2.* Neruæ consecrationem , a Traiano factam , inde separans : *quem tu*, inquit , *lacrimis primum*, ita ut *filium decuit*, *mox templis honestasti* : *non imitatus illos*, qui hoc idem , *sed alia mente fecerunt.* *Dicauit celo Tiberius Augustum*, sed ut *irrideret* : *Vespasianum Titus*, *Domitianus Titum*, sed ille , ut *dei filius*, hic , ut *frater videretur.* *Tu sideribus patrem intulisti*, non
ad.

numism. PAVLL. ALEX. MAFFEI part. III. gemmar. vet. illustrat. p. 208. CLAVD. GVICHARDVS de funerib. apud Roman. Græc. & alias gentes lib. I. cap. 13. p. 164. PHILIPP. BVONAROTTI de Romuli apotheosi in vet. diptycho expressa, tom. XXVIII. jornal. d'letter. d'ital. p. 9. BERN. DE MONTFAVCON dans l'antiquité expliquée tom. V. part. I. lib. IV. cap. 9. p. 151. 10. DAN. SCHOEPFLINVS comment. historic. de apotheosi seu consecratione imperator. Rom. P. I. eiusdem commentationum historic. & critic.

ad metum ciuium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum, sed quia deum credis.

§. III.

Ritum consecrandi adcurate HERODIANVS descripsit lib. IV. cap. 2. num. 2: ceream imaginem consecrandi principis in vestibulo palatii lecto eburno ac vestibus aureis instrato impositam, quasi egrotaret, per septem dies omnium conspectui patuisse. Deinde ubi iam visus diem obiisse: lectum nobilissimos viros tulisse in forum, hymnos cantantibus pueris & feminis nobilissimis. Quibus peractis, tulisse lectum extra urbem in campum martium & rogo imposuisse singulari ratione constructo, factisque circa illum ludis equestribus, facem illatam esse a successore principe. Mox ex cellula rogi (nam in partes distinctus erat) aquilam emissam esse, quæ vulgo crederetur animam principis in cælum deferre. Ex eo tempore defunctum pro deo habitum, cultumque fuisse templis, pulvinaribus, flaminibus.

§. IV.

Nec tantum ipsi imperatores sic honorati fuerunt; verum etiam augustæ feminæ, vxores, matres, sorores principum. Cuius rei exempla multa in nummis antiquis prostant cum inscriptione: CONSECRATIO, & appellatione DIVI vel DIVÆ: adposita est templi figura, aut aquilæ, aut, in feminarum consecratione, pavonis.

§. V.

Consuetudo hæc ita inualuit, vt vix sub imperatoribus christianis primis abrogari posset, quamvis

vis illi maxime abhorrent. Putabatur enim pars maiestatis esse & honoris, qui principibus debetur. h) EUTROPIVS *lib. X. cap. 9.* de Constantino, *inter diuos*, inquit, *meruit referri*, quod PÆANIVS *metaphrastes* interpretatus est ita, vt non meritis, sed ipso facto & opere talem crediderit, *συνηθμήθη*, aiens, *τοῖς θεοῖς*. Nec aliter EUTROPIVS Constantii, Constantini filii, & Ioviani suprema descripsit, de illo referens, vt de patre: *meruit inter diuos referri*; de hoc: *benignitate principum, qui ei successerunt, inter diuos relatus est*. Huius autem rei nihil habet AVRELIUS VICTOR, siue veterem illum consulas, & olim vulgatum, siue quem ANDREAS SCHOTTVS primum in lucem protraxit. De Valentiniano tamen AMMIANVS MARCELLINVS *lib. XXX.* extremo: *post conclamata imperatoris suprema corpusque curatum ad sepulturam, vt missum Constantinopolim inter diuorum reliquias humaretur*. Ex huius, vt EUTROPII, verbis non inepte quis coniceret, paganum illum ritum non abolitum fuisse, quum respublica ad christianos principes peruenisset. Quod ipsum de Constantino videtur numisma probare, ab EVSEBIO *lib. IV. cap. 73.* de *vita Constantini* laudatum,

h) Quæ hic de consecratione principum christianorum sequuntur, deprompta sunt ex *programmatibus* auctoris nostri Lips. MDCLXXXIX. editis, p. 244, cuius hæc de re verba eo minus hic describere dubitavi, quo accuratius argumentum hoc ibi traditur, & quo maiorem lectoribus iucunditatem brevis hæc commentatio adfert.

tum, siquidem hunc μακάριον, *beatum principem* referebat. ἐγκεκαλυμμένον τὴν κεφαλὴν χήματι, *capite obuoluto*: ex altera parte eundem representabat ἐφ' ἄρματι τεθρίππω ἠνίοχος τρόπον ὑπὸ δεξιᾶς ἀνώθεν ἐκτεινομένης αὐτῷ χειρὸς ἀναλαμβάνόμενον, *quadrigis instar aurigæ insidentem, & manu calitus demissa exceptum*. Sane non vno tempore sublata fuerunt, quæ aduersa erant christianorum legibus; sed multa diu longeque tolerata, vel ex diuturna consuetudine, quæ vim legis habere videtur, vel rebellionis metu, quod ita plebs superstitionibus addicta erat, ut auocari inde non posset, nisi mora temporis, quod corrigit pedetentim, quæ non possunt impetu & violentia emendari. Etenim Constantinus iam per nouennium christianus legem sanxit, qua haruspices consulendi, & nominatim de fulguris tactu, potestatem tum senatui, tum priuatis dedit. Ad *legem I. codicis Theodosiani de pagan. sacrif. & templ. ut & legem I. & II. de maleficis*, & harum interpretem eruditissimum IACOBVM GOTHOFREDVM. Ut nulla calumnia sit, quod ZOSIMVS *lib. II. cap. 29.* scripsit: ἐχρητό ἐτι τοῖς πατρίοις ἱεροῖς οὐ τιμῆς ἐνεκα μάλλον, ἢ χρείας, *patriis adhuc sacris utebatur, non tam religionis, quam necessitatis causa*. Ipse quoque EVSEBIVS *lib. X. historiae eccles. cap. 5.* inter βασιλικῶν διατάξεων ἀντίγραφα etiam hoc refert, ἐκάσω ἐξουσία δοθεῖν τῷ δίδόναι ἑαυτῷ τὴν διάνοιαν ἐν ἐκείνῃ τῇ θεσκειᾷ, ἣν αὐτὸς ἑαυτῷ ἀρμόζειν νομίζει, *ut integrum cuique esset, religionem sequi, quam sibi*

con-

consentaneam esse existimaret. Quod ipsum etiam suo tempore Valentinianus observavit, quem AMMIANVS loco citato tradit inter religionis diversitates medium stetisse, nec quemquam inquietasse, neque, ut hoc coleretur, imperasse, aut illud; quod ipse de se quoque fatetur lege IX. codicis Theodosiani de maleficis. Proinde dubium nequaquam est, quin tolerarint aliquid pii & christiani principes, quod a fide ipsorum atque moribus alienum esset, sicut Salviani ævo, ut lib. VI. de gubernatione Dei conqueritur: consulibus adhuc pulli, gentilium sacrilegiorum more, pascuntur, & volantis pennæ auguria queruntur. An vero ἀποθέωσις etiam gentilis relicta fuerit, incertior res est. EUTROPII stilus videtur id referre, quod vulgus, deorum cultui adfuetus, fieri credebatur in exsequiarum pompa, aut ut fieret, dignum iustumque propter principis defuncti virtutes existimabat. Nummus Eusebii christianus potius, quam gentilis est, cuius figuram exhibet clarissimus OISELIUS tabula CIV. numismatum thesauri, in quo minime sollemnis inscriptio, CONSECRATIO, aut ÆTERNITAS, neque aquilæ deportantis, aut aræ figuræ conspicitur, sed præter id, quod EVSEBIUS recensuit, quatuor litteræ S. N. N. I. reperiuntur. Diuorum nomen, quod MARCELLINVS christianis attribuit, ita inualuerat, ut pars maiestatis imperatoriae crederetur, perinde ac pontificis maximi titulus servatus quoque a principibus christianis fuit. Recte, an irreligiose hoc factum fuerit, disputat

Cellar. Antiquit.

Mm

GE.

§. VI.

In lapidibus figuratis & nummis certis ac inscriptionibus multis PHILIPPVS A TVRRE se eruditus probavit, quum Romæ MDCCIV. 4. edidit *monumenta Antiana*, quibus nihil est eruditius.

SECT. II.

DE NUMMIS. k)

CAP. I.

DE VARIIS NUMMORVM GENERIBVS.

§. I.

RADIX nummariae rei est cognitio ASSIS, exiguae monetæ, quæ vix integros tres nummos, *Pfennige*, vt nos vocamus, valebat, & in duo.

k) De re nummaria & pecuniaria veterum Romanorum monetarumque valore ac pretio generatim exposuerunt: IVST. LIPSIUS *de pecunia vet. Rom. tom. I. operum* p. 1466. IOACH. CAMERARIUS *de moneta vet. Græc. & Latinor. ERYC. PVTEANVS libr. de pecunia Romanæ ratione*, qui Louanii MDCXX. Antwerp. MDCXXVIII. prodiit & in CHIFFLETII *opusc. de numism. antiquo* relatus quoque est: ANDR. SCHOTTUS *tabul. rei nummarie Rom. Græcorumque*: IO. SELDENVS *libr. de nummis, in quo antiqua pecunia Romana & Græca mensuratur*: IO. FRID. GRONOVIVS *de pecun. vetere*: LVD. SAVOEVVS *diff. de nummis, tom. XI. thes. ant. Rom. Grævii*, p. 1832. MARQUARD. FREHERVS *lib. II. de re monetar. vet. Romanor.* IO. CHR. WAGENSEILIVS *de re monetali vet. Romanor.* ac multi reliqui, quorum breuitatis causa non mentionem facio.